

1420 *Barbari iterum in Italiam erumpunt.* potestatem venerant. Nec longo interjecto tempore aliquanto majore armorum apparatu Lodovicus in Italiam est reversus: ac Patriæ fines ingressus, Mansanum primo, inde Rosacium occupat. Sed expeditio hæc priore illa, de qua proxime diximus, nihilo felicior fuit. Venetus ad primam hostis famam præsto affuit: cujus accessu ter-ritus ille continuo Italiæ finibus excessit. Lodovicus haud multo post, dum adhuc res novas moliretur, ex humanis decessit: quo sublato, Utinenses & Patriani omnes Veneti imperii facti, pacem inde & ocium tenere. Hæc foris.

*Incendium.*

1419 In urbe ingens clades ex incendio, ut sæpe alias, accepta est: ignis ex Ducario repente ortus, Auream Divi Marci ædem, quæ illi incubat, repente corripuit, ubi ita atrociter flamma est debacchata, ut liquefacto plumbo (ex qua materia, ut hodie, tota ædes operta fuit) nihil quibusdam locis præter nudas testudines incendio superfuerit. Estque interim circa templum magnopere laboratum, proximis ædificiis ægre ab igne defensis. Erat senatusconsulto cautum, ne quis de veteri Ducario diruendo sumptuosiusve instaurando ad Patres referre auderet: multaue ducatorum mille erat irrogata huic, qui contra decretum fecisset. Tum Princeps publicum decus privato commodo præferens, id aurum in Senatum attulisse dicitur, ac Patres rogasse, vellent juberentque ipsam informem Ducariæ sedis faciem sumptuosius, & ut e maiestate publica erat, instaurari. Triumviri advocatores, quia contra senatusconsultum id a Principe factum constabat, ab eo multam petivere. Ea Mocenicus nihil remissiore animo soluta, in suscepta actione tamdiu perstitit, quoad priori decreto abrogato, Patres Ducarium instaurandum censuere: atque ita veteri opere disjecto, sumptuosius aliud cœptum est ædificari. Sed eo nondum perfecto Princeps vita decessit: quum annos decem ac tres ferme menses Rempublicam administrasset: ejus funus ad Gemellorum ædem frequens civitas extulit.

1423

Franciscus Foscarus illi successit. Cujus declaratio tam læta